

batam sequor. duo sunt enim divinandi genera, quo-
12 rum alterum artis est alterum naturae. quae est autem
gens aut quae civitas, quae non aut extispicum aut
monstra aut fulgora interpretantium aut augurum aut
astrologorum aut sortium (ea enim fere artis sunt) 5
aut somniorum aut vaticinationum (haec enim duo
naturalia putantur) praedictione moveatur? Quarum
quidem rerum eventa magis arbitror quam causas
quaeri oportere. est enim vis et natura quaedam, quae
tum observatis longo tempore significationibus tum 10
aliquo instinctu inflatuque divino futura praenuntiat.
7 quare omittat urguere Carneades, quod faciebat etiam
Panaetius, requirens Iuppiterne cornicem a laeva cor-
vum ab dextera canere iussisset. observata sunt haec
tempore inmenso et in significatione eventus animad- 15
versa et notata. nihil est autem quod non longinquitas
temporum excipiente memoria prodendisque monu-
13 mentis efficere atque adsequi possit. Mirari licet quae
sint animadversa a medicis herbarum genera, quae
radicum ad morsus bestiarum ad oculorum morbos 20
ad vulnera, quorum vim atque naturam ratio num-
quam explicavit, utilitate et ars est et inventor pro-
batus. age ea quae quamquam ex alio genere sunt
tamen divinationi sunt similia videamus:

'atque etiam ventos praemonstrat saepe futuros 25
inflatum mare, cum subito penitusque tumescit
saxaque cana salis niveo spumata liquore
tristificas certant Neptuno reddere voces